



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Ioannis Papae XVII. Qvi Perperam XIX. Appellatvr.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

VITA

IOANNIS PAPÆ XVII.

QVI PERPERAM XIX. APPELLATVR.

ANNO
CHRISTI
1009.Ioannes
XVII. pa-
pa factus
quando.Res gesta a
Ioanne
XVII.Vno Con-
stantino-
politana &
Romana
ecclesia.

IOANNES, qui cognominatur Fafanus, creatus est pontifex huius nominis decimusseptimus XII. Kalendas Decembris, anno Christi millesimo tertio, tempore Henrici primi. Hic initio pontificatus sui legatum misit in Germaniam, qui Magdeburgensem archiepiscopum iuxta priuilegium a sede apostolica impetratum auctoritate pontificia consecraret. Sancto Elphego Cantuariensi episcopo pallium misit: sancto Brunoni ad Prussiae populum conuertendum apostolatam contulit; quem cum fideliter perfecisset, a barbaris martyrio affectus est eodem prope tempore quo sanctus Bonifacius in Russia eodem apostolico munere perfunctus eadem martyrii corona insignitus fuit. Huius tempore Leuthericus Senonensis archiepiscopus hæresis Berengarianæ primordia & semina sparsit. Auctore hoc pontifice Constantinopolitanam ecclesiam cum Romana in communionem catholicam coniunctam fuisse testatur Petrus episcopus Antiochenus in epistola ad Michaellem Cerularium, & epitaphium Ioanni erectum quod recitat Baronius anno 1009. his verbis:

*Quam solers Domino, placuit quam mente modesta
Præsul apostolicus, orbis & omne decus.
Hic statuit tumulo claudisua membra sub isto;
Hæc eadem sperans ut sibi reddat humus:
Ardua qui fulsit cunctis per sidera cæli,
Augustis carus, gentibus & tribubus:
Doctrinis comptus, sacris & dogmate claro,
Per patrias sancta semina fudit ouans.
Nam Graios superans, Eois partibus unam
Schismata pellendo reddidit ecclesiam.
Principis hinc Petri sed quisquis tendis ad aulam,
Dic supplex isdem regnet ut arce poli.*

Tempus
sedis.

Defunctus est Ioannes papa xv. Kalendis Augusti, anno millesimo nono. Post obitum eius vacauit sedes apostolica vno mense & diebus tredecim.